



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Loca Infesta,|| Hoc est:|| De Infestis,|| Ob Molestantes||  
Daemoniorvm Et Defvncto-||rvm Hominvm Spiritvs,  
Locis,|| Liber Vnvs.||**

**Thyraeus, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

**VD16 T 1247**

Cap. XLI. An ex malis & molestijs, quæ ab humanis Spiritibus afferuntur, cognosci valeat; vtrum damnati sint Spiritus, an adhuc purgentur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61332)

*An ex malis, & molestiis, quæ ab humanis Spiritibus afferuntur, cognosci possit: quæ sit conditio humanorum Spirituum, qui infesti sunt.*

1. **Q**uemadmodum difficile fuit Capite 29. ex malis, quæ afferuntur per Spiritus, humanos distinguere à Dæmonibus: ita haud minus difficile, ex *ijsdem* inter se distinguere humanos. Quia tamen molestia tantùm videntur humanis Spiritibus relictæ; & mala grauiora, Diabolis authoribus, accidunt: fortè, si molestias, quæ à Spiritibus excitantur, penitius introspeciamus; aliquam, quæ humanos Spiritus inter se (sed tamen non à Dæmonibus) distinguat, inueniemus differentiam. Vtrumque præstemus, posterius priùs.

2. Molestiarum nullam esse, cuius Dæmones authores esse nequeant, nullus negauerit, qui Dæmonum conditionem probè perspectam habuerit. Liberi sunt arbitrij Dæmones; & ita quidem, vt cum libero eorum arbitrio egregia virtute, potestate quæ polleant. quâ igitur potestate instructi sunt; possunt molestias excitare: quâ libero arbitrio pollent; possunt excitare quas volunt, magnas, paruas, perniciosas, non perniciosas.

3. Et si exemplis hic agendum est, possumus producere alia, quibus doceamus maximos tumultus ipsis Architectis excitatos esse: alia etiam, quibus leues, & ludicras quasi molestias. Quod hic possunt humani Spiritus; non poterunt viribus præstantiores, Spiritus Dæmoniorum?

4. Habent igitur hoc commune Dæmones cum Spiritibus humanis. *Vtrique leuiter molesti esse possunt.* Frustra igitur, ex molestia, ipsorum distinctio petitur.

5. Veruntamen si molestias iam constat ab humanis proficisci Spiritibus; licebit *alicunde* conijcere, non purgandos; sed damnatos esse Spiritus: & rursus esse purgandos, non damnatos, à quibus ipsæ afferuntur.

6. Et damnatos prodebet primò, si cum molestia allata, *ad peccatum aliquod excitentur viuentes*, qualecunq; etiam illud sit. Hoc enim cum à purgandis Spiritibus sit alienissimum, quemadmodum superius capite quadragesimo, Thesi 6 7. &c. probatum est; non alios, quam damnatos Spiritus, potest habere authores.

Deinde



Deinde prodet eisdem *leuis atq; scurrilis gesticulatio*, cum molestia coniuncta. Quis hanc in purgandos Spiritus dixerit conuenire; quorum illa conditio est, vt, quo Deum offendant committant nihil. 7.

Prodet tertio damnatos, si molestiam non aliam ob causam, quam vt *viuentes vexentur*, & ad vexationem nulla utilitas redeat, suscepta deprehendatur. Nequit illa à purgandis Spiritibus esse; vt quibus, non vt molestant tantum, sed vt sibi molestia consulant, nostraque patrocina obtineant, propositum est. 8.

Produnt hæc damnatorum Spiritus. At purgandos illa solum molestia, *quæ leuitatis habet nihil: ad nullum incitat peccatum: & hoc solo nomine suscepta est; vt viuentes habeantur attenti*, Spiritus conditionem, miseriamque cognoscant, & subsidijs iuuent. 9.

## CAP. XLII.

*An obsequia quædam à Spiritibus præstentur, ex quibus conijci possit discrimen inter humanos Spiritus.*

Facilis est ad id, quod hoc Capite quæritur, responsio. Quæritur, sitne aliquod discrimen inter obsequia, quæ à Spiritibus præstantur viuētibus, quod humanos inter se distinguat. Respondetur *nullum esse*. Causa huius ex ijs, quæ Capite trigesimo dicta sunt, in promptu est. quia, vt ibidem diximus, nulla sunt obsequia, quæ humanorum Spirituum ita propria sunt, vt non etiam Dæmonibus illa conueniant, aut à Dæmonibus valeant præstari. Cùm verò ea debeat esse obsequiorum, quæ humanos Spiritus distinguant, conditio; vt primum humanis Spiritibus tantum conueniant; nō autem Dæmonibus: tum deinde eosdem inter se distinguant: si propria nulla sunt; quomodo distinguant?

Hoc quamuis ita sit: quamuis hæc certi minus constitui queat, quam in iam dictis discernendi rationibus, vna tamen Obsequia sunt; quæ quod ab humanis sint, & quidem certis Spiritibus, certum est: licet interim ex his de Spirituum conditione, in particulari, certum iudicium ferre temerarium sit, (coniectari licet) propterea, quod, in particulari, conditionem Obsequij perspicere sit difficillimum.

Affertio hæc quatuor constat menbris. Primum est, esse aliquod obsequiorum genus, quod humanis tantum Spiritibus conueniat. 3.